



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1700

Decas IV. Ab anno 730. ad annum 740.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)

bus cæsis. Cæteri cum naves in Hispaniam, celeri fugâ solvissent, orta tempestate aquis hausti unâ omnes periêrunt.

✽(732.)✽ Filia Chaiani Lazorum Regis Irene dicta nuptui datur Constantino Copronymo, fœmina egregiè Catholica, quæ & marito & focero pro cultu Imaginum constanter obstitit.

Classis ingens à Leone Imp: adversus Italos & Romanos instructa in mari Adriatico naufragio perit. Quantò magis autem Leo rugiit contra Sanctorum imagines & reliquias, tantò majore honore Ecclesia Romana easdem profecuta est industriâ & pietate Gregorii, neque ullis sumptibus ad cultum illarum amplificandum à fidelibus parcitum est, nec non iterato Concilio de hoc argumento Romæ celebrato, fulmina quoque contra Iconoclastas expedita, & imperterritito zelo gloriæ Dei & Sanctorum ejus in persecutores evibrata.

✽(733.)✽ Leo missos à Pontifice legatos detrudit in carcerem & post octo menses cum dedecore eiicit, multos Episcopos mittit in exilium alios suppliciis, afficit. Abstinit tamen ab infligendo supplicio Joanni Episcopo Polyboti qui claritudine miraculorum in Oriente nomen Thaumaturgi obtinuit. Is ad Imperato-

rem redarguendum fortiter Constantino-
polim ingressus, & vehementer Leonem
reprehendit veluti furentem bestiam mi-
naciter cicuraturus, nullam ab eo vim pas-
sus incolumis ad suam ecclesiam redire
permisus est: ubi commissum sibi gregem
fideliter custodiens & ab omni hæresi tu-
tatus tandem in pace quievit.

Carolus Martellus Anthinum Sarace-
norum Regem Narbonæ cum suis obsidet,
cujus obsidionis famâ vulgata infiniti pro-
pemodum Saraceni ex Hispania emerse-
runt suppetias laturo. Carolus autem iis
occurrrens Amorrâ occidit, & has copias
ad eò delevit, ut ne nuncius tantæ stragis
ad suos remearet. Sic Saraceni Urbes quas
tenuerant, relinquere coacti sunt, & Mau-
ritius Massiliæ Comes, qui barbaros evo-
cârât, ex metu fugit, sibi que ipsi manus
tortoris iniiciens vitam violentâ morte
abrupit.

(734.) Iterum Saraceni in Galliam
irruunt, & Arelatem vi capiunt, quos ut
Carolus repelleret, Luitprandum Longo-
bardorum Regem auxilium rogat, qui
mox cum suis Longobardis adfuit. Sara-
ceni autem ob conjunctas vires bellicosa-
rum duarum gentium malè sibi metuen-
tes, præcipiti fugâ rebus suis confelue-
runt.

✠735.)✠ Leo tum hoc & sequentibus annis sævire pergit, furore suo & crudelitate depascens Orientalem Ecclesiam & carpens atque deglutiens quicquid sanctum est. Et quanquam esset sitientissimus Orthodoxorum sanguinis, Martyrij tamen gloriosam lauream invidebat, ideo plures exilio & lentis ærumnis, quam ferri atrocitate confecit. Non defuerunt tamen plura ferinæ crudelitatis exempla, in sanguinis cædibus inferendis. Sic sæviturum est in S. Hypatium Lydorum Episcopum, Andream Presbyterum & Gregorium Limniotam Monachum prope Centenarium, quos, detrusos in carcerem, excarnificari præcepit, deinde capitis cutem abstrahi, ac desuper pictas imaginum tabellas accendi, barbamq; pice liquente perfundi, & accendi: qui demum sic dilacerati, ulsi & deformati, per urbem Constantinopolitanam protracti & jugulati, eorumque corpora canibus projecta sunt.

✠(736.)✠ Non tantum Leo ob Religionem, sed & propter justitiam ritè administratam sævit: Expertus id Georgius quidam Patricius qui his temporibus gerebat præfecturam urbanam, vir æquiamentissimus, hunc crudeli supplicio affect, quod mulieres quasdam perperam ac-

cusatas quasi strygas, dimisisset innocias. finge-
batur de his mulieribus quod Spirituum more subirent domos clausas, infan-
tes recens natos occiderent, & alia ejus-
modi præstarent, quæ infantibus à nutri-
culis occini solent, ut eos obsequentiores
habeant, quæ quia sapienter irriferat Ge-
orgius ideo malè ab infano Imperatore
periit.

✽(737.)✽ Rex Anglorum Nordhum-
brorum Ceolwphus (ad quem Beda hi-
storiam de rebus Anglorum scripsit)
divino amore succensus regnum Eadberto
tradens, attonsus & monasticam vitam am-
plexus est. Ex quo Colliges vix ullibi me-
liores, & fere nullibi deteriores Reges
quàm in Anglia extitisse.

✽(738.)✽ Per repetitas Francorum
victorias valde imminutis Saracenorum vi-
ribus Hispani animos resumpserunt, ad re-
gnum suum à barbaris vindicandum & am-
plificandum, animos magnos addente Al-
phonso (alii Adelphonsum, quidam Ilde-
phonsum appellant) genero Pelagii, qui
non modo fortissimè defendit, sed & pro-
pagavit suum Imperium à socero sibi reli-
ctum. Insistens strenuè vestigijs Reccare-
di Gothorum Principis, ex cujus prosapia
Alphonfus oriundus erat; unde etiam cog-
nomen

nomen Catholici quo Reccaredus in Concilio Episcoporum quondam condecoratus erat, sibi quoque attribui voluit & promeruit, quem titulum postea iterum intermissum, & tanquam intermortuum, à Successoribus, Ferdinandus Aragonius resuscitavit, & enixis precibus, a Julio hujus nominis secundo impetravit.

✱(739.)✱ Roma arctissimâ obsidione à Luitprando premitur, eò quòd Gregorius Papa & Stephanus Dux noluisset reddere Trasamundum Ducem Spoletanum, qui excusso Longobardorum jugo, pressus à Luitprando in eam urbem confugerat. Hoc tempore Basilica S. Petri in Vaticano extra urbem spoliata est; solvere tamen obsidionem Longobardi coacti sunt, captis aliquot urbibus Ducatûs Romani, Trasamundus autem cum Romano exercitu Spoletum recuperavit, & factus est brevi tempore par Longobardorum Regi, hætenus invictus sed valdè debilitato, postquam in Ecclesiam S. Petri, cui Ariani perpercerunt, factus est irreligiosus, quamvis enim Longobardi semper fuerint gravibus delictis obnoxii, à Deo tamen tolerati sunt, quousque hoc facinus ausi fuerunt, tunc enim in ruinam vergere cceperunt.

(740.) Gregorius Pontifex missa legatione cum muneribus sacris, ac præcipuè clavium S. Petri, auxilium rogat a Carolo Martello contra Luitprandum Longobardum, qui ad Romam obsidendam se parabat propter Trasamundum in Ducatum suum ope Gregorii restitutum. In litteris porrò, quibus Martelli opem Pontifex implorat, vocat eum **FILIUM CHRISTIANISSIMUM**, quem honorificentissimum titulum successores hujus regni ex concessione Catholica, ob egregiam Ecclesiam Romanam merita, feliciter in hunc usque diem propagârunt: sed his ad suppetias ferendas non fuit permotus, fortasse ne ingratus videretur erga Regem, cujus fortitudine & fidelitate in difficillimis præliis adversus Saracenos usus erat, aut quòd ditio sua bellis Saracenicis defessa, quiete & tranquillitate pacis restauranda tantisper fuerit divinare id, aut aliud suspicari non facile licebit.

Hoc anno Orientalium Saxonum in Britannia Rex & Regina, ille Ina, hæc Edilburga dicta, regnum dimiserunt, ut se Deo in cænobio consecrarent. Ut verò perpetuo pietatis monumento fidem suam erga Romanam Ecclesiam testarentur, singulas domos regni sui annuatim singulos denarios

nos argenteos S. Petro pendere statuerunt, ut terra hæc annuâ hujus census pensitatione Dominum suum S. Petrum agnosceret, ejusque fidem firmam illibatamque conservaret. Quod ipsum postmodum Offa Rex Orientalium Saxonum in suo regno præstitisse memoratur.

In Leonem Catholicos exagitantem Deus ipse hoc anno sæviit, ejus ditione terræ motibus horrendum in modum concussâ, quibus multæ urbes, & multæ Constantinopoli basilicæ & palatia & statuæ Imperatorum conciderunt, quia æquum non erat virorum quamvis illustrium imagines consistere, ubi Christi & Sanctorum erant exterminatæ.



DECAS V.

✽ Ab anno Christi 740. ad annum 750. ✽

741. **L**eo Isauricus, furens bellua evomit impiam animam, cum regnasset annos 24. successit ei Constantinus Copronymus, qui cum patre jam annos viginti duos imperaverat, ut solus jam habens moderaretur, moribus æquè turpis imò turpior quam nomine, vas spurcitæ & iniquitatis, a quo flagello tamen misera-